



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Pvgnā Spiritvalis**

**Scupoli, Lorenzo**

**[S.l.], 1599**

**VD16 S 5184**

Cap. X. De modo repugnandi repentinis ac insperatis motib[us] aduersis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49116](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49116)



armis ad præliandum aduersus  
eodẽm, non satis antea dispe-  
xit: id est, animum suum non  
imbuit cogitationibus, consi-  
lijisque seruandæ in omnibus  
aduersitatibus patientiæ. Et  
hec quidem pugna non solum  
contra impatientiam, sed cõ-  
tra quælibet vitia utiliter su-  
scipitur, præterquam contra  
carnalia, quæ aut fugienda ci-  
tò aut explodenda, vt inferi-  
us trademus.

**CAPVT X.**

*De pugna aduersus subitas tenta-  
tiones, passionesq̃.*

Di-



**D**ilecte fili, si necdum assuetus es, subitas aduersitates atque molestias, placido vultu animoque suscipere; hoc ferè modo te eò assuefacere poteris. Nempe si eas Intellectu tuo diligenter consideraueris, voluntateque desideres experiri: semperq; eas instructus atque paratus expectes.

*Ut occurren- dum sit bixis tē rationi bus.* Modus autem aduersitates istiusmodi per Intellectum cōsiderandi, hic ferè est. Attende diligenter statum, vocati- onemque tuam, locum quo- que & personas, vbi & cum quibus te quotidie oportet con-



conuersari: sic cognosces facile quæ tibi euenire possint, & quomodo animum tuum aduersus ea corroborare debeas; ne inordinatè turbetur atque succumbat. Et si fortasse contingat alia tibi euenire quàm putabas; nihilominus proderit tibi ista animi tui corroboratio, etiam ad illa æquanimiter perferenda; quòd te iam ad Patientiæ virtutem aliquatenus instruxeris.

Audi & aliam te in hoc certamine muniendi rationem. Si videris vel audieris te contemni, aut molestia, aduersitateque aliqua affici; confe-

E       stim



stim etiam inuitus mentē tuā  
eleues in Deum, eiusque im-  
mensam bonitatem, dilectio-  
nemque erga te consideres: sic  
intelliges, ipsum esse præci-  
pua[m] causam huius turbatio-  
nis, angustia[rum]que tuarum: eamque  
propterea tibi immittere, vt  
doceat te eam propter amorē  
sui patienter sustinere, faciat-  
que te sibi magis magisque ap-  
propinquare, perfectiusque  
vniri.

Posteaquam autem sic co-  
gnoueris, esse diuinæ Maje-  
statis beneplacitum, vt cala-  
mitatem istam placidè perfe-  
ras: tunc conuerte cogitatio-  
nem.



nem tuam ad teipsum, incipi-  
asque te arguere, dicens ani-  
mæ tuæ: Eheu, cur hanc abs te  
crucem abijcere contendis,  
quam tibi non hic aut alius in-  
imicus homo; sed dilectissi-  
mus, optimusque Pater tuus  
imposuit? His dictis, verte a-  
nimum ad præsentem crucem  
seu calamitatem tuam, & cum  
S. Andrea Apostolo eam sa-  
luta, lauda, amplexare, & quã-  
ta potes alacritate & gaudio  
in te suscipe.

Quòd si etiam passiones ac  
motus tam vehementes in te  
exurgant, vt non sinant te mē-  
tem ad Deum eleuare, sed &

E 2 vul-



vulnerauerint te, & iam non-  
 nihil superauerint: nihilomi-  
 nus perseueres tu in proposi-  
 to tuo, ac si nullatenus super-  
 atus esses. Sic fiet, vt accepta  
 vulnera, tibi deinceps sint  
 loco armorum, quibus te in-  
 struas ad recuperandum quod  
 aliàs perdideras, & ad fortiter  
 resistendum passionibus iam  
 dictis & alijs omnibus.

*Aliud* Proderit tibi quoque in hac  
*remedi* pugna contra impatientiam  
*um cō* in subitis aduersitatibus, si p-  
*tra sub* sonas cum quibus te oportet  
*itas tē-* conuersari, non æstimas apud  
*tatio-* te pro hominibus vulgaribus:  
*nes.* sed imagineris tibi eos tanquā  
 San-



Sanctos è cælo missos: Illos  
verò qui tibi præ ceteris aduer-  
santur, tanquam optimos Pa-  
tronos tuos: aded, vt quicquid  
de eis senseris, & boni, mali-  
que feceris; id apud te habeas  
tanquam in optimos Patronos  
tuos factum. Ac tandem oia  
quæ tibi ab istis inferuntur, nõ  
aliter æstimes, quàm si tibi à  
Sãctis in cœlis illata esset. Per  
hãc enim exercitationem fre-  
quentabis in te memoriam Sã-  
ctorum, ita vt paulatim tibi vi-  
dearis eosdem quasi coràm a-  
spicere.

Insuperque hac exercitati-  
one assuesces, omnia aduersa

E ; tam



tam placidè suscipiendi; vt nemo te per ea ad iracundiam p-  
uocare possit: quoniã & præ-  
uisa, & accepta erunt tibi om-  
nia. Et si quid graue iussus fue-  
ris facere; facies quàm prom-  
ptissimè.

*Causa  
tentationū  
repellē-  
da.*

Denique inter alia remedia  
aduersus subitas ac inexpecta-  
tas turbationes, facile præci-  
puum est, vt remoueas abs te  
causas, è quibus istiusmodi tē-  
tationes existunt. Vt si animad-  
uertis, te ob amorem alicuius  
rei facile commoueri animo,  
si ab ea consequenda impedi-  
aris; cura vt amorem hunc er-  
ga rem istam animo tuo exclu-  
das.



das. Si autem turbatio, vexatioque tua, non ab ipsa re, sed à persona, quæ eã tibi infert, aut procurat, exoritur; eadem persona tibi que tantopere iniuriosa est, vt etiam minima quæque ab ipsa profecta, te conturbent; tunc remedium erit optimum, vt te ipsum, seu voluntatem tuam ad deamandũ eam compellas: quod & fiet quàm expeditissimè, si personam istam habeas tanquã pro optimo Patrono in cœlis: & omnia quæ fecerit tibi, ita suscipias atque si tibi euenirent (vt dictum est) à Patrono optimo. Huc sanè pertinet, quod

E 4

Chri-



*Mat. 5.* Christus Dominus ac Saluator noster iussit: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persecuentibus & calumniatibus vos: ut sitis filij Patris vestri, qui in caelis est. Rursus. Beati estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.



## CAPVT XI.

De